



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De sacerdote de Deytkirchin, qui in obitu suo multitudinem vidit
daemoniorum. Item probatio quòd plures sint homines, quàm daemones
cap. 8.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

*Circa
malum
sacerdo-
tem mo-
ribus di-
mulus de-
mones.*

IN Deytkircher sanctimonialiū monasterio, quod in oppido Bonnenſi ſitum eſt, ſacerdos quidam de-
functus eſt, Adolphus nomine, vir valde ſecularis
& lubricus, iam dicti monaſterij plebanus; hic, ſicut
mihi retulit quidam ſacerdos, qui fuerat Bonnenſis
Canonicus, cū die quadam cum ſuo cognato quo-
dam luderet in aleis, quidam ex parochianis eius ſiens
ſuperuenit, & vt matri ſuæ confeſſionem audire, eam-
que communicare dignaretur, humiliter & cum la-
crymis ſupplicauit. Reſpondente ſacerdote: Non ve-
niam niſi expleto ludo, & ille inſtaret, aſſerens infir-
mam expectare non poſſe, commotus ſacerdos ſecum
ludenti dixit: Cognate, ego conqueror vobis de ho-
mine iſto, qui me quieſcere nō ſinit. Vidēs ſe ille nihil
proficere, triftis ac gemens diſceſſit, & infirma ſine
confeſſione, atque viatico, ab hac luce migravit. Die
autem tertio, is qui cum ſacerdote luſerat, deſunctæ
filio occurrit, & ſacerdotis querimoniam recordatus,
illum ſine cauſa occidit. Poſt hæc, & alia peccata plu-
rima, ſacerdos idem peremptoriam incidit infirmita-
tem, qui cū eſſet in deſperatione, quædam cognata
eius ſedens coram illo, cū ſignum contritionis vidit
in eo nullum, triftis ſic ait: Domine, debilis eſtis val-
de, præparate vos propter Deum, inuocate illum, vt
peccata veſtra vobis dimittat, & ſpatium adhuc fru-
ctuoſæ pœnitentiæ concedat. Ad quod ille deſperatus
reſpondit: Vides horreum illud magnum ex oppoſito
noſtri? non ſunt in eius recto tot calami, quot ſunt
circa me dæmones congregati. Et hoc dicto, mox
agonizans, expirauit, eos vidēs adēſſe moriturus quo-
rum conſilio vixerat ſanus. Multa tibi de multitudine
dæmonum dicere poſſem, ſed uſque ad duodecimam
diſtinctionem illud reſeruo. **A**POLLONIVS: Cū mali
malè viuendo multos habeant dæmones incentores,
multos in morte accuſatores, miror ſi tot in penis
habituri ſint ſinguli tortores. **C**ÆSARIYS: Suprà
diſtinctione prima capitulo xxxij. dictum eſt de Ab-
bate Morimundeneſe, quòd dæmones animam ad lo-
cum

eam pœnarum portantes cruciauerunt. Similiter distinctione secunda cap. vj. Hildebrandus latro Bertolpho post mortem apparens, multa milia dæmonū dicebat animam suam foris præstolari. APOLLONIUS: Si hæc ita se habent, certum est plures esse dæmones quam homines malos. CÆSARIUS: Quantum ad præsens tempus, quæstionis huius solutionem scire non possumus; sed certum habemus, quòd in fine mundi, quando completus fuerit reproborum numerus, multo plures erunt mali homines, quam dæmones. APOLLONIUS: Vnde hoc probatur? CÆSARIUS: Decima pars angelorum cecidit, ex quibus dæmones facti sunt. Teste beato Gregorio: Tot ascensuri sunt ex electis hominum, quot ibi angeli remanserunt: secundum hoc, nouem partibus numerus hominum electorum, trāscendet numerum dæmoniorum. Quis ergo dubitat, quin incomparabiliter plures sint homines mali, quā boni? Nec in hoc mali homines aliquā recipient consolationem, quòd numero longè plures erunt dæmonibus; quia tanta est illorum naturalis potentia, tanta contracta malitia, tanta torquendi industria, vt vnus multis milibus hominum in pœnis adhibendis sufficere possit. Hæc de multitudine malignorum spirituum dicta sint. Quòd autem incomparabiliter mali sint & immisericordes, varijs tibi pandam exemplis.

CAPVT IX.

Dæmon quidam, cum hominem à se obsessum horribiliter torqueret, & diuersis, per os eius garriendo, diuersa responderet, dictum est ei à quodam ex circumstantibus: Dic diabole, si posses ad gratiam in qua fuisti redire, quid velles propter hoc laboris sustinere? respondit ille: Si hoc esset in meo arbitrio, mallet, cum vna anima decepta descendere in infernum, quam redire in cœlum. Mirantibus omnibus cur ita diceret, iterum hoc verbum respondit: Quid de hoc miramini? Tanta est malitia mea, vt non possim aliquid velle boni. Huic verbo alterius cuiusdam dæmonis sermo discordat.

In fine mundi, plures fore malos homines, quàm dæmones. Gregor. hom. 34. in Euāg.

De malitia dæmonum.